


15

Σὺν Θεῷ

DISSE^RTATIO HEBRÆO-
PHILOLOGICA,

De

INTEGRITATE VOCIS



PSALM. XXII. 17.

Quam

Suffragante Ampliss: FAC. PHIL. in in-
clyto Musarum Aboëns. Lyceo,

DIRECTORE

Viro præclarissimo,

M. SIMONE PAULINO,

Lingv. Hebr. & Græcæ Profess: cele-
berrimo, Præceptore & Promotore
jugiter devenerando.

PRO HONORIBUS MAGISTERII,
Eorumq; privilegiis rite consequendis, candido
doctorum examini modeste submittit

JOHANNES. J. UTTER, Finl.

In Audit. Max. die 29. Maij Anni 1688.

ABOË, Exc. apud Joh. WALLIUM, A.T.

Inclyta. MagniDucatus Fenningiaæ, Aca-
demiæ Regiæ PATRIBUS Amplissimis,
Reverendissimo Dn. PRO-CANCEL-
LARIO, Magnif. Dn. RECTORI, ad-
modum Rev. Cousultiss. Experientiss.
Præclariss. & Excellentiss. omnium fa-
cultatum Dn. PROFESSORIBUS, e-
ruditi orbis luminibus fulgentissi-
mis, desideratissimis, gra-
vissimis.

UT ET
Reverenda dignitate, devotâ pietate, Huma-
nitate & doctrina maxime con-
spicuis Viris:

Dn. CHRISTIANO PROCOPOEO,
Pastori in Lomiofi meritiss. & Nu-
tritio liberalissimo.

Dn. ERICO THOMÆO, Pastori
in Siundo vigilantissimo.

Dn. JOHANNI WOI VALENIO,
Pastori Regiminis attentissimo, san-
gvinis jure mihi conjunctissimo.

SALUTEM ET FELICIA FARA !



Inquam Hebream, ob vene-
randam antiquitatem,
studiumq; ejus sacrum, ob
insignem utilitatem & sum-
mam necessitatem, maxi-
mis efferenda laudibus, norunt omnes, qui
eram lupinis discernere, & vitam inter
bone conscientiae & recte rationis polos ro-
tare didicerunt; dignis autem ea mactatu-
rus elogis, & legitimo eloquii charactere
adumbraturus, aut ingentius ingrederetur
equor, quam ut scapha ejus foret enavi-
gando, aut proeul omni dubio, facundia
non vulgaris gloriam, oporeet ut sit con-
secutus, egregieq; columnam posuerit lau-
dis. Tanta enim ejus est antiquitas, ut na-
ra sit cum orbe nato, tanta dignitas, ut
lingua Prophetarum, Angelorum, imo ipsius
Dei passim audiat. Ego proinde, ne ta-
lem Majestatem tenui verborum apparatu
obumbram, sacro eam veneror silentio, Con-
centus hanc dice vocem CAARI Ps.xxii:17.
Satis intricatam & vexatam, ad indultum
Amplissimae Facult. Philosoph. & tenorem
Constitutionum Academicarum, mittere sub
incipit

incudem Disputationis. Quam faustissimâ, Ampliss: & Reverend. nominum Vestrorum præscriptione insignitam, Tibi Patrono Magno, Vobis Mecenatibus, Promotoribus, Preceptoribus, Edergetis & Fauzoribus, summâ animi veneratione, nec non quodis observantie & honoris genere aeternum suscipiendis, dedenerandis, in humili-
mi gratissimique animi tempore consecro
& offero, indubitatem fovens spem, ut
me (Vestrum Clientem, strictissimâ cuiuscunque Sacramenti religione obligatiorem)
eam benevolo affectu complectamini, quam
benigno soletis literas literatosque alios.
Meum erit Altissimum Numen, ex intimis
cordis recessibus orare, dignetur Vos, in
hic terris omnigenâ benedictione, saturatos,
caelesti satiare ambrosia!

Reverendiss. Dn. Episcopi, Magnif.
D. Rect. Vestr. Ampliss. & Re-
verend. Dignit.

Humillimus cultor,
JOHANNES. Utter,
Auct. & Resp.

PROOEMIUM

Vix tam pro Helena certatum à Gracis, quam pro voce CAARI à πυλυκεΦάλω Criticorum cœtu: De ea namq; Philologi una cum Theologis in tot sententiarum abeunt divertia, ut, quot capita, tot de eadem reperias sententias: Unde Clariſſ: Pfeiff: eam haud immerito crucem appellavit Criticorum; causa vero hujus rei est, quod alii sub vexillo Iudeorum, Christianorum alii acriter militent, quorum hi illos textum hebreum corupisse, & in locum CARU, vel per epenthesin CAARU, CAARI substituisse arguunt; id autem an data operâ, vel casu quodam, ob affinitatem literarum Vau & Jod, sit factum, inter eos minime convenit: Illi vero suum CAARI tam mordicus defendunt, ut centies mortem oppeterent, quam CAARU admitterent, siquidem textum sacrum hebreum, talis lectio vel scriptio emi indignum redderet. Ultriusq; igitur partis rationibus discussis, & defendantibus vocis voṭeiaν relictis, γνησιότητι communissima lectionis adbarebo.

A. §. I.

Lectionem CARAꝝ à rad. CARAH
fodit, perfodit, inter alios, im-
primis urgent Pontificii, conantes
ita probare Textum Hebræum
hodiernum veteris Test: esse cor-
ruptum, ut versionis vulgatæ ^{auden-}
^{tiaꝝ} eo facilius obtineant, quod ex
pronunciato Gordoni Huntlæi Je-
suitæ ad oculum patet, qui, in e-
pit. Controvers. Tom. I. Contr. I.
cap. 8 non veretur in hæc verba e-
rumpere : *Non solum est ambiguus
Hebraicus textus, sed in multis etiam
locis depravatus, quæ tamen loca in no-
strâ vulgatâ editione adhuc correctè &
integre extant, quippe quæ facta est an-
te illam deprivatiōnē.* Q[uare] non
rectè faciunt illi, qui, rejecto vulgato &
sincero textu, confugiunt ad textum ju-
daicum jam depravatum. Hæc ille fa-
tis tumidè & immodestè. §.2.

§. II.

Rationes autem quibus suam assertione stabiliunt, sunt variæ. Prima desumitur ab auctoritatibus cum aliorum, tum præcipue Rabbi Chajim, collectoris Masoræ, qui in Masorâ magnâ finali, ad ordinem literarum incipientium ab Aleph Resch, ad vocem Ari sic fatur: In quibusdam libris correctis, inveni scriptum CAARU, & in margine lectum CAARI. Sed quæsivi inter illas voces, quæ cum Vau scribuntur in fine vocis, & leguntur cum Jod, sed non inveni illam vocem CAARU numeratam in enumeratione earum.

§. III.

Cui argumento variis occurtere licet exceptionibus. Qvarū prima erit inconsequentiæ demonstratio, qvæ patet ab illatione particularium

ticularium ad universalia. Licet e-
nim quidam codices habeant CA-
RU, inde tamen eam lectionem
genuinam statuere non valet con-
seqventia, cum in multo pluribus,
& quidē accuratissimis exēplaribus,
tam manu scriptis, quam impres-
sis CAARI reperiatur. Et si secun-
dum multitudinem exemplariorum sit ju-
dicandum (verba sunt cl. Leusden.)
Sanè numerus exemplariorum habentium
CAARI erit decuplo, si non centuplo
major. Secunda. Hæc nota Rabbi
Chajim, nihil ipsi Masoræ præjudi-
care potest, non enim à Masore-
this sed ab hoc est Masoræ addi-
ta, quod glossæ ejus diversus cha-
racter ostendit. Tertia. Proprio se-
jugulant gladio, qui ad hanc glos-
sam refugiunt, sic enim inquit Rab-
bi: Quæsivi vocem CAARU, inter vo-
ces scri-

tes scriptas cum Vau & letas cum Iod,
 sed non inveni. Ergo constat ean-
 dem antiquitus per Vau in fine
 dictionis scriptam non fuisse. **Q**uart-
a. Ipia Masora finalis, cui hæc
 glossa immediate est subscripta,
 satis refutat lectionem CAARI his
 verbis: Vox CAARI quater occur-
 rit, bis cum Kametz scilicet Psal:
 22: 17. & Jel. 38. 13. bis cum Pa-
 tach, utpote num. 24. 9. Ezech. 22:
 25. Unde liquet Masoram finalem,
 quæ majoris est momenti quam
 glossa Rabbini Chajim, statuere e-
 tiam hoc in loco esse scriptum CA-
 ARI per Iod & quidem per Kametz
 ab initio. Quam lectionem etiam
 Masora parva confirmat. Præte-
 rea Aben Ezra & Salomon Jarchi,
 qui circa undecimum seculum ju-

xta cl. Leuid. vixerunt, calculum suum lectioni CAARI adjiciunt. Quinta. Exemplaria, in quibus Rabbi Chajim, superiori seculo, CAARU extitisse asserit, cum sint multo re-contiora ipsâ Masorâ, ei nihil præ-judicare valent, qvæ jam inde ab ipsis Esdræ & virorum Synagogæ magnæ temporibus teste Buxtorf, passim in Comm. Masor. est ador-nata & posteritati, peculiari curâ divinâ, tradita.

§. IV.

Secundum argumentum, quo lectionem CAARI destruere conan-tur, petitur ex Masora Textuali ad Num. 24: 9. ubi sic habetur: Vox CAARI bis occurrit, videlicet num. 24: 9. & Psal. 22. 17. Ubi CAARU scriptum est. Ast illa nota Malorethi ca sibi non Constat. Dicit namque bis

bis tantum occurrere vocem CA-
ARI, quam quater extare modo al-
legata scripturæ dicta evincunt,
& quidem cum diversa vocali
sub Capb, (locis, in Masora textu-
ali, citatis) secundum Masoram
parvam & cum Jod in fine. Relin-
quitur ergo Masoram Textualem
si non ad omnes, tamen ad non-
nulllos codices esse spuriam &
vitiolam: Afferentibus hoc ipsum
viris numero & eruditione insi-
gnibus.

§. V.

Tertia ratio, qua lectionem CA-
ARI adstruere satagunt, est de-
sumpta ab interpretibus, qui hoc
CAARI transtulerunt per significa-
tionem fodiendi. Qvod refugi-
um illis parum aut nihil patroci-
natur, ut ex seqventibus videbi-

tur, ubi τῷ ΚΑΑΡΙ eadem significatio assignabitur.

§. VI.

Quartā ratio, quā Judæos ΚΑΑΡΟ
corrupisse arguunt, est, quod
crucifixio & perforatio manuum
& pedum Christi illâ voce claris-
simè indigitetur. Sed quis Judæos
hâc accusatione gravabit, cum ne-
que Christus neq: Apostoli hanc
dicam eis unquam inscripserint.
Et, si ΚΑΑΡΟ mutassent ad obscu-
randam crucifixionem Salvatoris
nostrî dulcissimi, cur ratione haud
absimili versum 19. Ubi divisio
vestium & projectio sortis ad oculum
monstrantur, & alia fidei suæ
directè opposita loca, non immu-
tarunt? Imo potius centies mor-
tem obiüssent Judæi, quam ut pa-
terentur vel hilum in textu He-
bræo,

bræo Sacro immutari. Insigne ergo
divinæ providentiae testimonium
est, quod gens judaica, Christianis
alias infensissima, ipsis tamen τὰ
λόγια τῷ Θεῷ in pessimæ suæ causæ
perniciem conservare & submini-
strare debuit. Lectione CAARI
ob prænominatas causas rejecta,
pedetentim me ad consideratio-
nem CAARI accingam.

§. VII.

Aciem oculorum ad vocem CA-
ARI dirigenti, tot tortuosí laby-
rinthorum Mæandri, tot perplexi
difficultatū lentes, tot deniq; expo-
sitionū varietates turmatim sese of-
ferunt, ut qvate vertas totus relin-
qvaris dubius. Cum tamen lectio
& scriptio CAARI, testimoniis Ma-
loreticis, concordi omnium judæ-
orum voto, & omnium ferè codi-
cum

cum consensui, ut solidissimis inni-
tatur fundamentis: Ideo plane su-
pervacaneum arbitror, plures de
eâ ducere lineas, præsertim cum in
formâ Grammaticâ, & significatio-
ne ejus investiganda, amplior e-
am diducendi sele offerat campus.

§. VIII.

Judæi, cum pluribus aliis è Christia-
norum Philologorum scholis, exi-
stiment hanc vocem esse deriva-
tam a nomine ARI, leo, & particula
comparativa Caph, & tale cudit
hemistichium: *Sicut leo manus me-
as & pedes meos, ἔχοντες repetentes*
verbum *Hikkiphuni* circumdede-
runt me, à radice *Zakaph* circum-
dedit. Et ut facilius intelligas,
quomodo leo manus & pedes cir-
cumdet, affingunt eum circulum
facere, è quo animal, cui insidia-
tu

tur leo, præformidine exire neq; ve-
at ut R. David Kimchi h.l. id graphi-
ce depingit his verbis: *Circumde-
derunt me sicut leo, qui describit caudâ suâ
circulum in sylva, quo viso animal quodcum-
que non audet inde egredi, præ metu &
formidine leonis, sed colligunt pedes suos anteri-
ores & posteriores, leog; superveniens reperit
prædam in medio circuli sui.* Cui Bochar-
tus hoc modo occurrit. Commento hoc
de circulo leonino quid insulsius? Leonem,
vixâ prædâ, quis credat ad eam non conten-
dere rectâ, sed locum circumscribere? aut cir-
culo, quem caudâ describit, vim inesse magi-
cam, quâ feræ desixæ maneant & immobiles?
aut feras non fugere dum sit circulus & pa-
tienter expectare, donec circumscripta sint?
Itaq; Kimchi dum ex leone quasi
Mathematicum facere voluit, pro-
didit se malum Physicum. Et
præter absurditatem, quâ leonem
pedes & manus & non totum ho-
minem circumdare venditant, re-
felluntur.

telluntur ex masora, magna apud
eos & eruditos quosvis auctori-
tatis ; imprimis genuinâ illâ &
non corruptâ. Masora enim
parva h. l. expresse habet, CAARI
bis reperitur *Kametzatum*, sub dua-
bus significationibus. Testibus
etiam D. Calovio in Critico sacro
biblico, Pfeiffero, in dubiis vex.
Leusd. Hebr, Philol. & cæte-
ris. In Masora vero magna finali
integrum nobis sistitur Alphabetum,
constans ex binis vocibus, qvæ
diversam habent significationem,
h. e. ejusmodi vocum geminarum
quæ scriptione conveniunt. E. G.
Amir occurrit Isa. 17.6. & Hos. 4.7.
Sed diverso significatu: ibi enim
ramum summa: hic vero mutabo si-
gnificat. *Sithnah* legitur Gen. 26.21.
&

& Eldr. 4, 6. sed distinctā signifi-
tione: Ibi enim nomen propri-
um loci est: hic vero adversatio-
nem sive accusationem notat. Vo-
ces ejusmodi in dicto catalogore
censentur octo & nonaginta, in
quibus *CAARI* est vox sexagesi-
ma, occurrēns Isa. 38. 13. & Psal.
22, 17, referentibus etiam Aucto-
ribus nominatis, ll. cit. Unde faci-
le apparet aliam significationem
in Isaia, in Psalmo aliam reqviri;
Jam vero priori loco, significatio,
sicut leo, cum συναφέια textus qvam
maxime convenit. Ergo aliud
quid posteriori, in textu certo cer-
tius hoc testimonio Masoretico de-
signabit. Præterea Judæorum ex-
positioni repugnat ut ὁς ἡν παρόδω
referam. I. *Psalmi scopus*, qvi est de-
scripsio passionis & crucifixionis
Chri-

Christi, cujus, ratione pedum & manuum, v. 17. mentio fit, quod consummatum fuisse, ex historia passionis Domini luce meridianâ clarius patet. 2. Locus parallelus Zach, 12, 10, videbunt, quem transfixerunt, quem Johannes cap. 19. 37. ad crucifixionem Christi applicat. 3. Interpretum tam Orientalium quam Occidentalium ὁμοψηφία.

§. IX.

Christianorum nonnulli, ut Voëtius, Leusd. &c retinent significationem ut leo, repetendo verbum *Hikkiphani*; Sed eidem assignando significationem, descendens à *Nakaph*, quæ coincidit cum *Nakabh* perforavit, perfodit vel incidit. Nam literæ *Beth* & *Pe* facile inter se permutantur; ut talis sit sensus. Nam circumdecerunt mercanes

nes, cætus malignantium peforarunt
instar leonis manus meas & pedes
meos. Qvæ explicatio tolerari pos-
set, ni expressis Masoræ verbis, a-
liam hic quam apud Esa. cit. loc.
significationem reqvireretibus, con-
tradiceret; ut raceam circumdandi
notionem hujus verbi usitatiorem
esse & commodiorem, qvia con-
cilio malignantium concinnius tri-
buitur quam pertundendi; Leo
denique non manus solum & pe-
des, verum potius totum corpus
omniaque ossa perfodiendo con-
tereret.

§. X.

Quidam, rejecta verbi repetitio-
ne, ad supplendam sententiā
aliud quoddā subaudiunt. Ut Cal-
dæus vocem mordendi: *Raschi*, con-
terendi

terendi: Christiani nonnulli perforandi. Pari modo alii, haud postremi
comatis viri. Quibus concedendum
ellip̄ses in sacris literis esse quidem
usitatas, ut Psal. 120, 7. Ego pacem
(subintellige diligo) at cum loquor,
ip̄si ad bellum (subaudi concla-
mant) Verum ad hujusmodi ellip̄ses non facile configiēdum, cum
tam aliud verbum quam perforan-
di hic posset subintelligi. Et Ma-
sora nihili duceretur, quæ hic si-
gnificationem leonis prorsus ex-
cludit.

§. XI.

Reperies quam plurimos, lin-
gvæ hebrææ peritissimos, qui
vocem hanc putant compositam
ex CAARU foderunt & CAARI
sicut leo, qvorum unum puncta,
alterum literas præ se ferat.

Quam

Quam sententiam D. D. Wasmuth,
 in Disp. sua inaugurali Kiloni A. 1666.
 habita, foveret, dicens vocem ex utroq; significatu esse compositam,
 ad designandam perfectionem &
 percussionem immanem & trucu-
 lentam, qualis est iconum, atq; sic
 hanc scriptionem & lectionem,
 non sine mysterio esse factam, si-
 quidem & facinus ipsum Judæorum
 ex primat & facinoris qualitatē, ra-
 biem Scil. eorum. Eadem sen-
 tentiæ favet Arias Montanus, ver-
 ba Maloræ BHITHRE LISCHNI male ex-
 plicans & minime attendens, hic
 non esse duplex unius vocis, eodem
 loco positæ; Sed diversum duarum
vocum scriptione convenientium
 & diversis locis extantium signifi-
catur: ut ex superius allatis jubare
meridiano clarius liquet. Præte-
 rea

rea ejusmodi vocum synæresis officit simplicitati sensus literalist: Ut sileam literam Caph, hoc modo, & præfixam servilem, & verbis literam radicalem reddi, quod plane est insolens.

§. XII.

Cum superius commemoratae rationes, notionem leonis penitus excludant, aliam viam interpres circa vocis hujus lectionem & scriptionem ingrediuntur: Quidam addendo unicum punctulum & faciendo ex CAARI, CAARE in regimine cum Tiere, ablato Mem finali, hoc sensu: perforantes manuum pedumq;. Adqvorum sententiam accedere, inter cætera prohibet vocalium auctorita divina, quæ earum mutationem, pro cuiusvis placito haud patitur, cum sint literis

teris coœvæ; Alii deducendo eam
ē rad. Syriaſmum redolente CAR
deturpavit, fœdavit: unde & Aqui-
las ἡρχυραν vertit. Hinc in infin. Piel
foret CAER, & cum affixo CAARI,
ſensu rali: Congregatio maleficorum
circumdederunt me, deturpando me ma-
nibus atq; pedibus meis, ſive deturpan-
do mibi manus meas & pedes meos.
Sed cum CAR, sub significatione
deturpandi Hebræos lateat, & affi-
xum inf. l. ordinariè significet a-
etive, NI autem paſſivè. Conf. D.
D. Wasmuth. Ebr. reſtit. pag. 235.
Explicandum foret: Dum ego de-
turpo manus meas & pedes meos, ſen-
ſu plane nullo.

§. XIII.

Plurimi quoque in Philologiâ He-
bræa nullis ſecundi, natales huic
voci tribuunt à Rad. CARAH fodit
B perfodit

perfodit, habentes eam protertia
 plurali præteriti in Kal: Ubi Ana-
 logicè esset CARII; admisla vero
 Anomalia, ita hujus ut aliarum vo-
 cum irregularium, per epenthesin
 inserentes Aleph, sicut in Rhaama
 exaltabitur Zach. 14. v. 10. Iod vero
 in fine dicunt posatum pro Vau,
 qvoniā litteræ hæ facile inter se
 permutauntur, ut Esr. 10. vers. ulti-
 mo Nasai acceperunt pro Nasau
 &c. Sed cum Caari non inveni-
 atur, inter voces scriptas cum Iod
 & lectas per Vau: Et puncti τω Iod
 impressi non detur solida ratio, præ-
 ter conjecturam stigmatum τιν
 Christi crucifixione, & annorum
 Christi supputationem, sibi mini-
 me constantem: Utique Judæi ab
 omni fallationis suspicione absolu-

vuntur: & Masorethis ^{et} Iod punc-
tum præcedaneum non ventrale
defendentibus sua relinqvitur au-
toritas.

§. XIV.

Optime deniq; rem acu tetigisse
videntur, qui vocem **C**aari de-
ducunt à rad. *Cur fodit, perfodit.* Quæ
licer hodie in Sacris Vet. Test.
pandectis non reperiatur, fuisse ta-
men apud Hebræos in usu, radi-
ces collactaneæ *Carah* & *Ker* satis
superque arguunt. Quantum ad
priorem, notum est verba qviscen-
tia media *Vau*, & ultimā radicali
He, manente eadem significatio-
ne, suas facile permutare formas.
E:g. *Dum* & *Damah*, *Hum* & *Hamah*
&c. Ad posteriorem verò quod at-
tinget, tum nemo inficiat ibit, lite-
ras ejusdem organi facile inter se
permu-

permutari, ut *T/abhab* & *Schahhab*
rīst &c. Sic *Cur* & *ur*. Restitui
 quoq; hæc vox potest à radice Ara-
 bica *Cur* vel *Car* cum significatio-
 ne fodiendi, non deturpandi. Imo
 nomen Hebræum *Cur*, significans
 catinum & fornacem metallicam,
 qvæ à fodiendo nomen aptè for-
 titur, prædictam radicem veram
 esse clarè demonstrat.

§. XV.

Concessa radix *Cur*, Analogicè in
 Participi Benoni habet *Car*, plur.
Carim, velut è *Kum* sit *Kam*. plur.
Kamim, Aleph hoc, vel per epen-
 thesin inseritur, vel loco *Vau* ad-
 hibetur in hoc verborum genere,
 ut in *Kaam* Hof. 14.10. pro *Kam*. R.
 David *Kimchi* asserit Aleph esse ra-
 dicale, in verbis qviescentibus me-
 diâ *Vau*, & delitescere in *Kametz*.

Non

Non ergo propter Aleph hoc ad
 matres lectionis , aut Arabismum
 confugiendum , cum in textu he-
 bræo alia ejusmodi loca occurrant,
 ut æquè Caarim liceat legere pro
Carim, ac Raamoth pro *Ramoth* Prov.
 24. 7. & Schaatim pro Schatim Ez.
 28. 24. &c. Mem finale per apo-
 copen aufertur, ut in *Lecari* ad pri-
 mores, 2. Reg. 11. 4. pro *Lecarim*;
Haccari idem, 2. Reg. 11. 19. Amni
 populorum 2. Sam. 22. verl. 44.
 pro *Amnim*; *Hitsi* sagittas, 2 Sam.
 20: 36, & 38. pro *Hittim* *Hhori* fo-
 raminum Genel. 40: 16; Schalischi
 triarii 2 Sam. 23: 8. Est ergo CAARI
 Particium Benoni plurale , pro
 CARIM, factâ epenthesi Aleph & a-
 pocope Mem, sicque exponi po-
 test; Consilium (nomen collectivū)
 malig.

malignantium circumdederunt me fodientes manus meas & pedes meos. Qvæ expositio D.D.Calovio valdè arridet, neq; id sine prægnantibus causis. Hoc enim pacto, vocis ^{Cla}_{la} integritas conservatur, & Judæi à dicâ sibi inscriptâ liberantur; deinde, tum Masoræ candem scriptiōnem, at diversam significationem hic & Ela. 38. innuenti, tum ^{ovvexia} textus, tum analogiæ fidei, tum formationi Grammaticæ, tum lyn-taxi apprimè consulitur. Tot deniq; interpretibus, significationem fodiendi adhibentibus sua habe-atur libertas.

§. XVI.

Rationum vero, qvibus hanc assercionem oppugnatum eunt, præcipuæ sunt petitæ ab ^{Auctoritate} contrariæ Masoræ, cui in para-grapho

grapho quarto, ut spero, est satis-
factum. & codicem quorundam an-
tiqvitate, CAARU legi oportere
asserentium. Verum his infinita
exemplaria contrarium statuen-
tia, & antiqvitatem Masoræ genui-
næ oppono, præsertim cum eo-
rum fides non satis sit probata, qvi
primum CAARU scriptum se vi-
disse jactitant. *A suffragio inter-*
pretum, Præteritum hoc loco ad-
hibentium. Ast argumento hoc
non, quantum sperant, obtinent,
Septuaginta enim interpretes Par-
ticipium Ebræum CAARI, ut sa-
pè alias, per Aoristum ὠρυξεν red-
diderunt, quos plurimi alii sunt
secuti. Paraphrast: vero Chaldæ-
us supplendo Partipium NACHETIN
sat ostendit scilicet CAARI pro parti-
cipio

cipio' agnovisse. Duplicem deniq;
& insignem Anomaliam, in unâ
eademque radice inusitata admis-
tendam moleste ferunt: Verum
cū reperiantur voces tot imo plu-
res anomalies requirentes, non e-
rit mirum, id, de hâc cruce Cri-
ticorum, stâguere. Præterea Alepb
secundum qvosdam, ut supra in-
nuebam est radicale, non ergo ne-
cessè est illud dicere epentheticū,
neque sic duplicem admittere a-
nomaliam, præter solam Apoco-
pen; neque eam in rigore dictam,
quoniam cum similibus sub com-
munem regulam, ut ex allatis ex-
emplis patuit, cogi potest, quæ ut
sint pauca facit monumentorum
purè Hebræorum paucitas.

§. XVII.

Qvi plura de hac re desiderat,
 consulat D.D. Calovium bibl.
 illust. h. l. Pokokium, Matthæ.
 um Polum, Pheisterum, Altin-
 gium, Glassium, Leusden, &
 alios de voce CAARI. Mihi vero
 Benevole Lector, tantum de ma-
 xime intricata hâc & arduâ mate-
 ria, rudi quanquam Minervâ pro
 temporis, instituti & sumptuum ra-
 tione, differuisse sufficiat, qui de
 tuo candore certus, his ultimam
 huic labori impono
 manum.

Μόνω Θεῷ τῷ παντοκράτορι δόξα!